B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

PLVTARCHVS

MORALIA

VOL. V · FASC. 1

RECENSVIT ET EMENDAVIT

C. HUBERT

PRAEFATIONEM SCRIPSIT

M. POHLENZ

EDITIO ALTERA CORRECTIOR
ADDENDA ADIECIT

H. DREXLER

EDITIO STEREOTYPA
EDITIONIS SECVNDAE (MCMLX)

MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAUR MMI

In hoc fasciculo continentur

49. *Περὶ τοῦ ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι* (Plan. 28) 1
Maxime cum principibus philosopho esse disserendum

50. *Πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον* (Plan. 35) 11
Ad principem ineruditum

51. *Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον* (Plan. 30) 20
An seni sit gerenda res publica

52. *Πολιτικὰ παραγγέλματα* (Plan. 58) 58
Praecepta gerendae rei publicae

53. *Περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας* (Plan. 48) 127
De tribus rei publicae generibus

54. *Περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι* (Plan. 65) 131
De vitando aere alieno

Addenda 143

Quisquis hunc librum legit, animadvertat, ne praetereat „ADDITAMENTUM“ signo □ in margine apposito (p. 143sqq.)

Die Deutsche Bibliothek – CIP-Einheitsaufnahme

Plutarchus:
Moralia / Plutarchus. - Nachdr.. -
Monachii ; Lipsiae : Saur
(Bibliotheca Teubneriana)

Vol. 5. Fasc. 1. / Rec. et emendavit C. Hubert.
Praefationem scripsit M. Pohlenz. -
Ed. stereotypa ed. 2 (1960). - 2001
ISBN 3-598-71682-6

© 2001 by K. G. Saur Verlag GmbH, München und Leipzig
Printed in Germany
Alle Rechte vorbehalten. All rights Strictly Reserved.
Jede Art der Vervielfältigung ohne Erlaubnis des Verlags ist unzulässig.
Gesamtherstellung: Strauss Offsetdruck GmbH, Mörlenbach

PRAEFATIO

LIBELLI POLITICI

Plutarchus, homo et sanguine et indole Graecus, etiam *ζῷον φύσει πολιτικόν* erat, nec solum in parvo suo oppidulo munera publica suscipere dedignatus non est, sed etiam in Academia sua politicas quaestiones tractavit, non ut Platonis exemplum secutus perfectam rei publicae speciem proponeret, sed ut suae aetatis Graecis maximeque iuvenibus quos secum collegerat ostenderet quomodo etiam sub imperio Romanorum vitam proavis liberis dignam degere patriaeque servire et possent et vellent. quam autem viam ac rationem in schola sua adhibuerit, optime illustratur fragmento illo (Plan. 48) quod in codicibus nostris *Περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας* inscribitur.[1]) dialogum enim ibi sic instituit, ut se antecedentis diei disputationem qua discipulos suos ad capessendam rem publicam adhortatus sit continuare ac de singulis generibus rei publicae disserere velle fingat, quo melius illi ipsi, quodnam ex iis optimum et eligendum sit, iudicare possint. quae legentes nonne nos ipsos paene scholis quas Plutarchus habere solebat interesse putamus? vix autem a vero aberrabimus si suspicabimur Plutarchum tales disputationes primo etiam in ipsius usum conscripsisse, ut lectiones suas et colloquia cum discipulis habenda praepararet. sed multis certe causis commoveri poterat ut tales lucubrationes etiam litteris mandaret. Praecepta sua gerendae rei publicae (*Πολι-*

1) Latine hic titulus iam s. XVI diversa ratione redditus est; aptissima videtur versio quam iam Longolius proponit: 'De tribus rei publicae generibus' (qui sane tum eam pluribus enarrat, cf. Praef. V 3 p. V).

τικὰ παραγγέλματα Plan. 58) ut componeret se Menemachi amici precibus adductum esse ipse dicit, neque desunt loci quibus adulescentem quem honoris causa adloquitur ipsum respiciat, sed librum tanta arte elaboravit, ut dubitare non possimus, quin statim eum etiam in publicum edere in animo habuerit. admodum iam aetate provectus Euphani coaequali libellum *Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον* misit (30), quo eum monet, ne mole et annorum et molestiarum oppressus prius quam natura postulet a republica recedat. nusquam Plutarchum amabilius de propria vivendi ratione dicentem audimus, sed certe hunc quoque tractatum promulgavit, non modo ut legentes delectaret sed ut omnibus civibus prodesset. parvae denique disputationes quibus et philosophi summum officium esse cum principibus colloqui et principibus philosophia maxime opus esse docet (28 et 35), etsi e magisterio ortae sunt, sine dubio non tantum scholae, sed etiam vitae servire volebant. priorem sane tantum *ὑπομνήματα* nondum plane perpolita continere, quibus Plutarchus postea in edendo libro uti vellet, suo iure U. de Wilamowitz in Hermae t. XXXVII (1902) p. 326 inde conclusit quod in cap. ultimo eadem fere sententia bis plane similibus verbis illustratur. plura addidit Joh. Frerichs, Plutarchi libelli duo politici, Gottingae 1929, p. 42sqq., qui etiam alterum opusculum offensione non carere statuit; sed ut illud quoque a Plutarcho editum non esse credamus, argumenta non sufficiunt.[1])

Fragmentum illud *Π. μοναρχίας κτλ.* (Plan. 48) post Plutarchi demum mortem e schedis eius erutum esse vel

1) In Lampriae catalogo libelli 28. 35. 48 non commemorantur; accedunt vero alia quaedam opuscula huc spectantia: 153 *Ὑποθετικὸς ἢ περὶ ἀρχῆς* et 164 *Εἰ δώσει γνώμην ὁ πολίτης* (*πολιτικὸς*?) *προειδὼς ὅτι οὐκ ὀνήσει* (*οὐ πονήσει* codd.), [*οὐ πείσει* (glossema ad *οὐ πονήσει*)]. at l. 195 *Πόλεων κτίσεις* potius historico generi adscribendus est ut etiam 51 *Πόλεων εὐεργεσίαι βιβλία γ'*. historicam materiam denique congessisse videntur 52 et 53 *Πολιτικῶν βιβλία β'* et *Περὶ Θεοφράστου πρὸς τοὺς καιρούς*, quae M. Treu, D. sogenannte Lampriaskatalog der Plutarchschriften, Pr. Waldenburg 1873 p.43, coniungenda esse et unum librum *Περὶ Θεοφράστου πολιτικοῦ* (melius *πολιτικῶν* cf. Ziegler RE XXI, 698) *πρὸς τοὺς καιροὺς βιβλία β'* significare suspicatur.

codicum nostrorum memoria indicare videtur. traditum enim est in collectione illa vetusta qua omnino opuscula a Plutarcho ipso non elaborata vel postea mutilata continebantur (cf. Praef. III p. XVII). legitur nunc in codicibus gemellis U et H, qui libros 44–47. 55. 48 (49. 50) continent, et in Π, ubi sane Planudes l. 55 hoc loco omisit, quia in hac declamatione alium codicem adhibere volebat.

Reliqui libelli politici in alia corpuscula scriptorum Plutarcheorum, qualia iam antiquitus multa circumferebantur, recepta sunt neque una eademque via ad nos pervenerunt. res ipsa tamen ferebat, ut saepe tractatus similis argumenti coniungerentur. sic iam s. XI codex Venetus X inter multa alia libellos 28 (maxime cum princ.), 35 (ad principem ineruditum), 30 (an seni) hoc ordine deinceps proponebat, eosdemque librarius codicis y e vetusto exemplari descripsit, quod primo collectionem etiam in UH (et LC) traditam 44–47. 55 (non 48–50), tum vero ex alio fonte sumptos libros 28. 35. 30 et initium l. 6 exhibebat (Praef. III p. IX). s. XIII/XIV saepius idem libelli cum 52 (de virtute morali) coniungebantur: 28. 35. 52. 30. 31 (cum multis aliis) hoc ordine leguntur in Ambr. 881 J et 528 O atque secundum indicem in Palatino 170 (g) servatum etiam in exemplari, ex quo hic descriptus est, extabant (Graeven apud Patonem in editione dialogorum Pythicorum 1893 p. IX). accedit denique Marc. 427 V, libri O gemellus, qui sane l. 30 omittit, sed 28. 35. 52. 31 hoc ordine praebet.

In JO et in indice codicis g post 31 secuntur 29. 34 (*Ὑγιεινὰ* et *Γαμικὰ παραγγέλματα*), ad quae – id quod nostra maxime interest – in J apte tertius liber praecepta continens additur, sc. *Πολιτικὰ παραγγέλματα* (58), sed sicut etiam 29. 34 sine dubio etiam 58 aliunde additus est. nam in cognato cod. V 34 ante 28–31 positus est, antecedunt vero 56. 57 α. 58. 59. hi libelli autem iam s. XI in alia collectione coniuncta tradebantur; nam Barber. G habet 56. 57 α. 58–60, Paris. 1957 F 56–58, Paris. 1678 o (valde nunc mutilatus: Praef. II p. VI) 58. 59. 57 α et β. en aliam syllogen, in qua non tres

illi libri mere politici 28. 30. 35 — nullum enim eorum vestigium in GFo — continebantur, sed praecepta gerendae rei publicae cum aliis tractatibus similem quodammodo materiem tractantibus coniungebantur, sc. cum declamationibus de Romanorum et de Alexandri fortuna (56. 57) et cum regum et imperatorum et Lacedaemoniorum apophthegmatis et cum Laconicis institutis (59. 60). non mirabimur, quod labentibus saeculis hae duae syllogae confluxerunt[1]); primitus vero eas plane inter se separatas fuisse vel diversitas memoriae luce clarius ostendit. sed hoc ut penitus perspiciamus, de singulis libris diligentius agendum est.

SINGVLORVM LIBELLORVM MEMORIA

DE TRIBVS REI PVBLICAE GENERIBVS (Plan. 48)

De memoria huius fragmenti sufficiunt quae in Praef. III p. XVII de libris 45–47 (de 44 cf. Praef. VI 2 p. X) exposita sunt. traditur enim ipsum quoque in vetustis codicibus UH et in codicibus Planudis qui simili exemplari usus est. accedit hic J qui in altera parte l. 53 in priore imperfectum supplet et 48. 27. 24. 47 aliunde addit (Praef. I p. XXIII) sed proprii vix quicquam habet. nec maioris pretii est n. prorsus vero neglegendi sunt Paris. 2076 (apographon cod. J) aliique recentes quos Wegehaupt, Plutarchstudien p. 50 enumerat. memoria uniformis et pessima.

1) de JV iam diximus. Planudes 28. 30. 35 libellis aliquot alterius argumenti intercedentibus recepit; in Φ (secundum vz, cf. Praef. I p. XXVII) 35 ab 28. 30 multis aliis separatus erat. in recensione Θ 30 deerat, 35. 28 (hoc ordine) versus finem addunt abu (Praef. I p. XXIV). in n 35. 28 multo post 30 locum habent; in B 30 solus extat (Praef. I p. XXV. XXVI). — librum 58 Planudes e collectione GFo sumpsit itemque Φ (vz): 56. 57 α. 58—61. Θ(Zυ) ut J 29. 34. 58 deinceps praebet. n 58 cum 29, B cum 34 coniungit. de tota hac quaestione cf. Wegehaupt, Plutarchstudien in italienischen Bibliotheken, Pr. Cuxhaven 1906, 48sqq., et Frerichs p. 6sq.

1. MAXIME CVM PRINCIPIBVS PHILOSOPHO ESSE DISSERENDVM (Plan. 28).
2. AD PRINCIPEM INERVDITVM (35).
3. AN SENI SIT RES PVBLICA GERENDA (30).

Hi tres libelli una traduntur in codicibus **Xy J** et in Φ cuius familiae memoria una sed nunc bipartita (cf. Praef. I p. XXVII; testes in 28. 30 **vw**, in 35 **vdz**) et Π (α**AE** al.) n. praeterea 28. 35 extant in **OV** et in recensione Θ (quae hic non modo in **ab**, sed etiam in altera parte codicis υ inest, cf. Praef. I p. XX. XXV). 28 etiam in S (Vat. 264), 30 in **B** legitur.

Codex V in 28. 35 codicis O ita gemellus est ut illum semper iuxta O afferre necesse non sit (siglum O igitur, nisi quid additur, etiam lectiones V complectitur). e Planudeis (Π) hic quoque α**AE** adnotare satis est. **Bn**, qui mixti generis sunt atque vix umquam propria habent, raro nominantur. plane omittendi sunt, cum codicis J apographa sint, Coll. Nov. Oxon. et Paris. 2076. Cf. Frerichs, Plutarchi duo libelli politici, Gottingae 1929 p. 5 sqq. 9.

Syllogen, qua hi libelli servati sunt, iam ante s. V in manibus legentium fuisse inde concludas quod in Stobaei florilegio excerpta et ex libro 35 et ex 30 inveniuntur. ex illo quattuor deinceps loci desumpti sunt (IV 5, 97–100 = p. 231 sqq. H.); ex 30 non modo duae illae sententiae quarum fons indicatur (IV 4, 20 p. 189 H. et IV 12, 43 p. 363), sed etiam aliae eclogae Plutarchi nomine non adscripto translatae, quas Hense in Appendice p. 39 enumerat. etsi autem Stobaeus vel eius auctor satis libere egit, hoc saltem cognoscimus, iam tum Plutarchi libros gravibus corruptelis laborasse (cf. imprimis p. 12 sqq.), memoriam autem non unam fuisse. nam contra omnium codicum nostrorum consensum Stobaeus et pravas lectiones, velut 12, 11 (*οἰκονομίας* pro *ἡγεμονίας*); 12, 24–26 (pro verbis propter homoioteleuton omissis falso *τρέχειν* interpolatum); 17, 23 (*ἁμαρτάνειν* pro *ἀναμάρτητον*); 18, 1 (*τοῖς πάθεσι*), et bonas (velut 12, 24 *ψυχὴν* pro *ἀρχήν*; 18, 3 ⟨*νεῦρα*⟩) exhibet, raro cum singulis codicibus consentit ut 12, 21 (*τῇ* cum α^2**AE**), 14, 7 (*δίκης καὶ ἄρχοντος* ut J); 18, 12 (*τὴν* = **ybυ**). cf. Frerichs

p. 14. titulus l. 30 a Stobaeo sic indicatur: *Εἰ πολιτευτέον πρεσβυτέρῳ*, Plutarchi codices exhibent: *Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον* (cf. tamen notam ad p. 20).

Archetypum nostrorum codicum vix ante Byzantinorum aetatem exaratum esse testari videntur loci quibus verba in omnibus falso separata sunt, ut p. 55, 20 *μὲν ἐκράτει* pro *Μενεκράτει*, 27, 15 *ἀφροδισίαν αὐτῆς* pro *ἀφροδίσια ναύταις*, ubi sane J a reliquis discedit, qui etiam in p. 56, 14 solus recte *ὤρθωσεν ὑπατεύων* scripsit, cum reliqui *ὀρθῶς ἐνυπατεύων* exhibeant. ex uno certe archetypo non nimis antiquo praestantissimi nostri libri **Xy**J descripti sunt. in **y** libelli 28. 35. 30 leguntur in illo fasciculo (fol. 175^{r}–217^{r}), qui summi pretii atque certe ex libro satis vetusto expressus est, cf. Praef. III p. IX. adnotationibus **y** fere caret; in **X** manus vetusta (non **X**^{3}) haud pauca adscripsit vel correxit; in J post antiquiores Ducas, cum Aldinam imprimendam praepararet, multa mutavit (Treu, Progr. Breslau 1884 p. 15 sqq.).

Ex his tribus codicibus **y**, etsi recentissimus, principalem locum ut alibi quoque sibi vindicat. qui sane peccatis neglegentia scribarum admissis minime caret (velut p. 6, 17 *ἀπὸ θεοῦ γόνος* pro *ἄπωθεν ἁγνός*), nonnunquam menda tradita suo iudicio corrigere non veretur (2, 7 *λέγοντα*), per errorem quattuor fere lineas 25, 1, consulto Christiana fide commotus p. 3, 7 *θεοῦ*, 5, 17 *ἡ δ' Οὐρανία*, 34, 6 *νὴ Δία* et l. 11 *τοὺς θεούς*, 38, 2 *θεοῖς* omittit; sed persaepe etiam ex vetusto suo fonte solus verum servavit. pauca e multis hic adferre satis sit: 2, 4 *προσκαθίζῃς* (-*ζῃ* rell.); 2, 7 *εἶπε* (*εἰπεῖν*); 7, 16 *ἦν* (om. rell.); 13, 17 *μέν* (om. rell.); 30, 14 *ἀγήρω* (*ἀμείνω*); 30, 21 *ὁ ναύκληρος* ut Stob. (*ὁ ναυκληρικός*); 31, 26 *διαφλέγεσθαι* ut ci. Madv. (*διὰ τὸ φλέγεσθαι*); 49, 3 *παριέντα* ut ci. Steph. (*παριόντα*). in p. 30, 8, ubi **y** praebet *χάρις εὐμενὴς ὁμαρτοῦσα τοῖς ἔργοις* fortasse *ὁμαρτοῦσα* scrupulum movere potest, quia hoc vocabulum a pedestri sermone alienum est, sed Plutarchus ad poeticum aliquem locum alludere videtur; certe reliquorum *ἡ μαρτυροῦσα* teneri non potest (a Bernardace in

συμμαρτυροῦσα correctum). p. 41, 7 vulgata lectio *τῆς πρεσβυτικῆς πολιτείας . . . οὐδέν ἐστι δόγμα γεροντικόν* neque rectam antithesin ad sequentia neque omnino aptum sensum efficit, cum ad *δόγμα* epitheton desideremus quod antecedentibus verbis *πανηγυρισμοῦ καὶ δοξοκοπίας* respondeat. rectam viam solus y monstrat *ῥοπικόν* pro *γεροντικόν* scribens. *'ἡ φύσις ἀπέριττος, οὐδέν, ὡς ἔφησεν Ἐρασίστρατος, ἔχουσα ῥωπικόν'* legimus in libri de amore prolis capite 3 p. 495c, ubi in parte codicum ut hic *ῥοπικόν* pro *ῥωπικόν* scriptum est, atque similiter hoc adiectivo Plutarchus ipse in vita Lycurgi 9 usus est. — haud raro y a reliquis in verbis collocandis recedit, ac sine dubio genuinam lectionem non modo p. 8, 9 servavit, ubi eius *εὖ πάσχειν* hiatum vitat, quem reliquorum *πάσχειν εὖ* ante *αἰσχ.* infert, sed etiam p. 31, 3, ubi sententia, ut Wy. cognovit, non vulgatum *τὸ . . . διαφυλάξαι μεγάλην ἀπὸ τῶν τυχόντων γενομένην* (*δύναμιν*) sed *τὸ . . . διαφυλάξαι μεγάλην γενομένην ἀπὸ τῶν τυχόντων ἕτοιμον* flagitat. aliis locis (velut 11, 17; 13, 5; 16, 11) dubitare potes. quis enim ultimo loco fidenter diiudicabit, utrum Plutarchus *κάτωθεν ὑφεῖλκε* (y) an *ὑφεῖλκε κάτωθεν* scripserit?

Multo rarius J et X soli verum exhibent: J p. 14, 7 *καὶ* ut Stob. (supra p. VII); 41, 21 *πεφυκότος* (*πεφυκὼς* rell.); 49, 4 *θρασύνασθαι*; 21, 23 *τυραννείοις* quod recte postea A ex corr. et E receperunt, cum reliqui *τυράννοις* habeant; X solus p. 15, 12 *ἀφελείας* (*ὠφελείας* rell. exc. Θ, qui *ἀληθείας* interpolat); 55, 15 *συντεταγμένον*. saepius bini codices contra tertium stant, ut Xy contra J p. 4, 10 *ἀναλύειν*, 39, 22 *χειμέριον*; 49, 9 *ἡττημένων*, Jy contra X 21, 9 *κοινῇ*; 34, 2 *κατάγουσαι*; 40, 19 *οὗτοι* (*ὄντες* reliqui, quod iuxta *ἐπιβάλλοντες* non modo supervacaneum, sed etiam molestum est). saepe etiam omnes tres inter se differunt, at quin ex uno eodemque libro descripti sint, dubitari non potest.

p. 42, 14, ubi Plutarchus de Aridaeo agit, in omnibus codicibus legimus: *ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς δορυφόρημα κωφὸν ἦν ὄνομα βασιλέως καὶ πρόσωπον ὑπὸ τῶν ἀεὶ κρατούντων παροινούμενον*, sed post *δορυφόρημα* in Xy J lacuna hiat,

quae in **X** fere totius lineae, in **y** 12, in **J** 18 litterarum spatium habet. quae res eo magis mira videri potest quod sententia supplemento non eget. offensioni autem nobis potius esse potest quod ut *δορυφόρημα*, sic *πρόσωπον* e sermone scenico sumptum est et Plutarchus aperte ad terminum *κωφὸν πρόσωπον* iam Ciceronis temporibus pervulgatum (ad Att. XIII 19, 3) alludit, sed hic *κωφόν* a substantivo *πρόσωπον* separatum est et *ὄνομα βασιλέως* intercedit non item ad scenam pertinens. aptius Philo Iudaeus, qui adv. Flaccum 20 eandem imaginem, ni fallor, ab historico quodam Alexandri Magni, cum de Aridaeo loqueretur (cf. Plut. Mor. 337e cum Wyttenbachii adn., vit. Alex. 77, 7), fictam exprimere vult, sententiam sic conformat: *κωφὸν ὡς ἐπὶ σκηνῆς προσωπεῖον ἕνεκα προσχήματος αὐτὸ μόνον παραλαμβάνοντες ἐπιγεγραμμένον ὄνομα ἀρχῆς*. quae omnia si consideramus, suspicari licet olim in libro quodam Plutarcheo scriptum fuisse *ὥσπερ ... δορυφόρημα καὶ πρόσωπον κωφόν*, tunc librarium post *βασιλέως* male iterum *καὶ πρόσωπον* exarasse, denique errore animadverso prius *καὶ πρόσωπον* erasisse, ita ut lacuna eo loco extaret.

Ne vero haec mera hariolatio videatur, similia e nostra memoria afferam. in p. 53, 1. 2 **Xy J** lacunas diversi spatii relinquunt, cuius rei causa ea tantum excogitari potest quod verba insueta *καθάπερ τὰ βάσκανα γεράνδρυα* librario communis archetypi difficultatem paraverant. — p. 55, 20 Plutarchus qui modo narrationem de Agide finiverat, sic perrexit: *Μενεκράτει δὲ καὶ δίφρος ἔκειτο*. cum vero in transcribendo codice antiquo Menecratis nomen falso in *μὲν ἐκράτει* separatum esset (supra p. VIII), non mirabimur lectores hic haesisse. atque in **X** quidem ante *ἔκειτο* lacuna 11 litterarum extat; quae quomodo orta sit, e codice **y** apparet, qui post *ἔκειτο* male notam olim marginalem *τοῦ ἅγιδος δηλονότι* inter contextus verba recepit. idem in **X** accidisse, sed verba falso intrusa postea deleta esse si conicies, non errabis.

Summi vero momenti initium ultimi capitis est (p. 56, 16), ubi post *συνθεῖναι* conclusio totius disputationis sic incipit: *οὕτω διὰ πολλῶν τρόπων τῆς πολιτείας οὐθὲν ἀπο-*

κωλύει τοὺς γέροντας ὠφελεῖν τὸ κοινόν. initio vero *οὕτω* omittunt **X**[1], qui hoc verbum in parva lacuna a manu secunda ut videtur postea additum exhibet, et **y**, sed illud *οὕτως* in proxima linea post *τ. γέροντας* scribunt (in **X** linea deletum). praeterea *ἀποκωλύειν* (error ex antecedente infinitivo *συνθεῖναι* natus) inest in **Xy**, sed ν in **X** postea erasum. **J**[1] autem totum locum sic tradit: *συνθεῖναι εἰς τὸν ἄλλο βίον διὰ πολλῶν τρόπων, τὸ δὲ οὕτως κεῖται μετὰ τὸ ἀποκολύειν τοὺς γέροντας, ὠφελεῖν κτλ.* verba *εἰς τὸν ἄλλο βίον* et *τὸ δὲ οὕτως κεῖται* (*μετὰ τὸ* lineis subductis delevit, itemque *ν* in *ἀποκολύειν* linea notavit, denique *οὕτως* et *πολιτείας οὐθὲν* add. Ducas). ut in p. 55, 20 sic hic notam marginalem falso in contextum verborum invasisse evidens est. cum autem dubitari vix possit quin *εἰς τὸν ἄλλο βίον* male pro *εἰς τὸ ἄλλο βιβλίον*, quod in byzantino sermone idem valebat atque *ἐν τῷ ἄλλῳ βιβλίῳ*, scriptum sit, eum qui primus hanc notam in margine adscripsit duos codices Plutarcheos in manibus habuisse et inter se comparasse apparet. quia autem genuina lectio etiam in **X** ab altera manu restituta est, concludere debemus hoc iam factum esse, cum illud exemplar, quod omnibus codicibus **Xy J** subest, describeretur.

Ac ne in minoribus quidem libellis 28. 35 loci desunt, quibus haec suspicio fulciatur. de p. 18, 1 sqq., ubi iam Stobaei aetate Plutarchi verba valde corrupta erant (supra p. VII) et iam antiquitus viri docti diversa ratione medelam adferre conati sunt, mox agemus. p. 7, 17 sqq. auctor codicis **y**, cum verba tradita sensu carere sibi persuasisset, sed sanari posse desperaret, totam sententiam lacuna indicata omisit, reliqui fideliter descripserunt. notas marginales hic quoque falso inter ipsa Plutarchi verba recepta esse ex p. 9, 13 et 16, 7 cognoscimus, ubi **y** solus glossemata *τὴν λύραν* et *τὸν ἄρχοντα* non habet.

Maxime vero dolendum est, quod 'alter' ille 'liber' qui in archetypo constituendo adhibitus est, nullam progeniem habuisse videtur. certe inter codices extantes nullus est, quem ex alia memoria atque **Xy J** fluxisse credas.

suspiceris hoc forsitan de O V (qui libros 28. 35 solos habent), quia in p. 18, 1 vacuum spatium relinquunt, ubi J, cui maxime affines sunt (velut p. 12, 17 *πολλάκις* om. J^1O V), lacunam non indicat. sed alibi exceptis locis ubi aperta interpolamenta habent (velut 1, 9 *φιλοψευδής* pro *ψοφοδεής*), tantopere cum **X**y J conspirant, ut de communi origine dubitari non possit. idem de S (qui ipse quoque l. 30 non habet) dicendum est, cum propius etiam ad J accedat (p. 4, 8 *Κάστωρ* J^1S, *Κάτων* vel *Βάτων* rell.; 4, 3 *Πλάτων Δίωνι* J^1O V S Θ). a viro docto interpolatus est p. 7, 11 al.

Eadem traditio etiam recensionibus Φ et Π subest, quas in his quoque libellis (28. 35. 30), etsi haud raro differunt, ab uno exemplari originem ducere menda communia velut 3, 7 (om. *μεγάλου*); 6, 7 (om. *τοσαύτης*); 40, 20 (om. propter homoioteleuton *εἴθ' οἷον παραβλαστάνοντες*) testantur. hunc autem librum a memoria codicis **X** iam correcti pependisse multis locis apparet; cf. 1, 8 *καὶ* eras. in **X**, om. Φ Π; 9, 11 *ἀνὴρ* pro *ἂν* X^2υ Φ Π; 22, 18 *τῆς* om. **X** Φ Π **B**; 24, 13 *τοὺς νέους τοναίους* fere X^1Φ α a. c.; 41, 2 *πραγματικῆς* pro *πρεοβυτικῆς* X^2Φ (*πρεσβυτικῆς*, sed *εσβυ* in ras. α^2); 48, 15 *ὡς αὐτοῖς τὸ ἄρχειν* pro *ὡς αὐτοὺς τῷ ἄρχειν* male X^2Φ α a. c. nonnunquam sane Φ etiam alium librum adscivisse videtur, siquidem p. 4, 8 solus cum y *Βάτων* contra *Κάτων* vel *Κάστωρ* reliquorum, 9, 17 *ναυαρχίδα* (*ναυρχίδα* y) habet quod reliqui in *ναυαρχίαν* corruperunt. 15, 20 pro *αὐλῇ* cum y *ὕλη* praebet quod etiam O^1 in margine adnotat. cum O V consentit p. 6, 11 (*τοῖς μὴ βλεπομένοις*) et 18, 1, ubi eodem modo lacunam indicat. Planudes vero eiusque adiutores saepe iis lectionibus, quas α scripserat, non adquieverunt, sed suo iudicio vel alia memoria confisi aliam lectionem praetulerunt. p. 55, 17, ubi solus y verbum Thucydideum *ἐπαιτίου* fideliter servavit, **X** J^1 n^1 *ἐπετείου* praebent, *ἐπετείους* scribit Φ, quod in *εὐπετοῦς* mutaverunt $J^2\alpha^2$ (in ras.) A E **B**. p. 45, 19 **X** J^1y Φ α a. c. Iovis epitheton rarum sane sed Etymologico Magno p. 251, 1 confirmatum *Πολιαίου* retinuerunt, α autem (e corr.) et reliqui Π solitam formam *Πολιέως* restituerunt.

p. 35, 7 *πραγματείαν* pro *γραμματείαν*, 39, 26 *πεῖσαι* pro *κυβερνῆσαι*, 52, 11 *κυβεύοντας* pro *συνάγοντας* in α (item **B** rell. Π) iam a prima manu interpolatum legimus.

Nonnunquam sane etiam bonae lectiones in Π inveniuntur, sed ut p. 28, 17 *ἐπιθήγουσι* ex *ἐπιθίγουσι* emendaretur, alio codice opus non erat; 13, 23 *ὑγραῖς* pro *αὐταῖς* vel *μακραῖς* ex Euripidis fr. 941 sumi poterat. etiam p. 36, 10 correcturam *ἐπείγου* pro *ἐπείγη* libenter ingenio viri docti Byzantini tribuemus, sicut p. 54,23 A^1 feliciter *πρωτεῖον* pro *πρῶτον* scripsit. corruptelam p. 15, 2 recentes Planudei ex vita Alexandri 52 sustulerunt.

Etiam in collocandis verbis saepe Π non modo a **X** y **J**, sed etiam a Φ discrepat. quodsi p. 31, 19 in Π (**B** J^2) *μέγιστον κακὸν ἔχουσιν αἱ πολιτεῖαι* legimus contra reliquorum *μέγιστον αἱ πολιτεῖαι κακὸν ἔχουσιν*, et p. 55, 3 sq. *πολλὰ μὲν καὶ μεγάλα κατώρθωσεν* in Π **B** contra *πολλὰ μὲν κατώρθωσε καὶ μεγάλα*, collocatio fortasse artificiosior, sed vere Plutarchea bis in simpliciorem facilioremque mutata esse videtur. sic ne in p. 28, 20 quidem, ubi sane Φ accedit, vel p. 47, 10; 54, 11, ulla causa est, cur cum editoribus Planudem sequamur.

Correcturas codicum Π non omnes Planudis ipsius inventa, sed alio ex fonte haustas esse vel inde apparet quod etiam in aliis libris inveniuntur. etiamsi enim multae earum in hos ex ipsa memoria Π translatae sunt (velut magna pars illarum, quas Ducas in **J** adhibuit), aliae certe antiquiores sunt, omninoque dubitari non potest, quin etiam in horum librorum exemplaribus iam ante Planudem variae lectiones et adnotationes pervulgatae et inter se exaequatae sint. maxime quae spectentur digna sunt, quae in **X** manus vetusta correxit. vide p. 15, 3, ubi X^1 *πᾶν ταχθὲν* habet, y Θ *πανταχόθεν*, plerique *πᾶν πράττομεν* interpolant, X^2 vero *πᾶν τὸ πραχθὲν* tradit quod non solum vita Alex. 52 commendatur, sed etiam in **J** extat. atque hac via etiam adnotationes marginales archetypi, quae ex amisso altero exemplari sumptae erant, propagari potuisse vel unus ille locus docet p. 56, 15 sq., de quo p. X sq. fusius egimus.

Attamen hic quoque caveamus, ne inconsiderate agamus. mirum sane non est quod in p. 47, 11, ubi Alexandrum Bucephalo iam aetate provecto parcentem ante pugnam aliis equis usum esse narratur, lectionem *ἑτέροις ἐπωχεῖτο* editores omnes receperunt, etsi in J y *ἑτέροις ἐχρῆτο* scriptum est atque hoc primitus etiam in X fuisse videtur (*ἐπωχεῖτο* in ras. X^2). sed in vitae Alexandri cap. 32, unde Plutarchus non modo totam narratiunculam, sed etiam verba quaedam transtulit, dixerat (sane non de Bucephalo, sed de vestimento) *ἐχρῆτο δὲ καὶ τούτῳ πρὸς τοὺς ἀγῶνας*, atque fortasse consulto hoc verbum in nostro libello iterum admisit, cum politicum hominem Alexandri exemplo prolato docere vellet, qua ratione re publica 'uti' deberet (47, 17 *παρήσει τοῖς ἀκμάζουσι χρῆσθαι πρὸς τὰ μικρότερα τὴν πόλιν*).

Finem ita faciamus ut de duobus locis difficillimis agamus. p. 53, 3 X^1 J^1y haec exhibent: *διὸ δεῖ πορρωτάτω τοῦ φθονεῖν ὄντα τὸν πολιτικὸν γέροντα μὴ καθάπερ τὰ βάσκανα γεράνδρυα* (de his verbis vide quae p. X exposuimus) *τῶν παραβλαστανόντων καὶ ὑποφυομένων σαφῶς ἀφαιρεῖσθαι καὶ τὴν αὔξησιν*, cui loco lucem vere adtulit L. Radermacher, qui *σαφῶς* in *τὸ φῶς* correxit, neque quisquam negabit Plutarchum *τὸ φῶς ἀφαιρεῖσθαι καὶ τὴν αὔξησιν* scribere potuisse. difficultas autem inde nascitur quod non modo Π B *σαφ. ἀφ. τὴν βλάστην καὶ τὴν αὔξησιν* habent, sed etiam in X inter *ἀφαιρεῖσθαι* et *τὴν* ab altera manu in rasura *τὴν βλάστην καὶ* scriptum est. neque hoc satis. nam J^2 (Ducas) in margine non modo *τὴν βλάστην* sed *καὶ κολούειν τὴν βλάστην* supplevit, quae verba inde non modo in Aldinam sed in omnes posteriores editiones transierunt. quamquam autem statim suspicio nobis nascitur lectorem quendam doctum cum corruptelam *σαφῶς* ante oculos haberet, ante *καὶ τὴν αὔξησιν* aliquid addendum putavisse, concedendum est ne haec quidem verba a Plutarchi ingenio abhorrere (*ἀφαιρῶν καὶ κολούων* p. 800 b); immo forsitan placere possit quod sic substantiva *τὸ φῶς* et *τὴν αὔξησιν*, quae non plane similem notionem habent, diversis verbis or-

nentur. sed hoc quoque considerandum est: si vera est Radermacheri emendatio – neque quisquam ex *σαφῶς* sensum aptum eliciet –, verba quae in X^2 leguntur ad priora adnecti non possunt nisi adsumpto Ducae supplemento *καὶ κολούειν* vel certe *καὶ* solo; cum vero probari non possit hoc e libro manuscripto fluxisse, dubitatio sane quaedam remanebit, tutius vero agemus, si tantum *τὸ φῶς ἀφαιρεῖσθαι καὶ τὴν αὔξησιν* Plutarcho reddemus.

In libello 35 initium capitis 6 (p. 17, 22 sqq.) iam Stobaei aetate corruptum et lacunosum fuisse supra vidimus (p. VII). in codicibus nostris fere legimus: *ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἀσθενέσι καὶ ταπεινοῖς καὶ ἰδιώταις τῷ ἀδυνάτῳ μιγνύμενον* (*δεδεμένον* minus apte Stob.) *τὸ ἀνόητον εἰς τὸ ἀναμάρτητον, ὥσπερ* ⟨*ἐν* Stob.⟩ *ὀνείρασι φαύλοις τις ἀνία τὴν ψυχὴν διαταράττει, συνεξαναστῆναι ταῖς ἐπιθυμίαις μὴ δυναμένην· ἡ δ' ἐξουσία παραλαβοῦσα τὴν κακίαν ἀνίαν τοῖς* (*ἀνιάτοις* OVΦ) *πάθεσι προστίθησι.* sed pro *τις ἀνία τὴν ψυχὴν* (JΠv^2z^2, *τις* tamen in lac. 3 lit. om. α^1, add. α^2) OV habent *τις ἀνι* lac. 7 (10) lit. *τὴν ψ.* similemque lacunam etiam Φ indicat, X vero *τις ἄνεισι τὴν ψ.* scribit, y denique totum locum sic constituit: *τισὶν ἐνίησι τὴν ψυχὴν καὶ διατ. ἀνίαν* vel *ἀνία* tamquam variam lectionem etiam in margine codd. Xy extitisse inde conicias quod *ἀνία* postea falso ante *τοῖς πάθεσι προστίθησι* irrepsit et Stobaei lectionem sine dubio genuinam ⟨*νεῦρα*⟩ expulit. – *εἰς τὸ ἀναμάρτητον* pro quo Stob. perperam *εἰς τὸ ἁμαρτάνειν* habet, genuinum esse optime Frerichs p. 16 collato simili Plutarchi loco p. 87e demonstravit. sed quaeri potest unde haec verba pendeant. quae difficultas sane evanescere videtur, si cum vetustioribus editoribus recensionem Θ sequimur quae sola post ea verbum *τελευτᾷ* praebet. illud *ἀνία* quod in sequentibus etiam Θ habet, sane tum stare non potest, sed aptam sententiam sic fere recuperes: *ὥσπερ ἐν ὀνείρασι φαύλαις τισὶ φαντασίαις τὴν ψυχὴν διαταράττει* (non placet quod Kron. dubitans proposuit: *φαύλοις τις ἀδράνεια τὴν ψυχὴν*). maximam autem dubitationem movere debet quod illud

τελευτᾷ non ex vetusta memoria haustum, sed coniectura hominis sane ingeniosi esse videtur, qui hanc recensionem promulgavit. nullo enim loco horum libellorum (28. 35; 30 non habet) videmus eum libro ab **Xy J** alieno usum esse; quam audacter autem verba tradita mutaverit, saepe elucet, velut p. 8, 11 *δι' ὧν πολλοὶ σώζονται* pro *ὧν πολλοὶ δέονται*, 15, 12 *ἀληθείας* pro *ἀφελείας* (*ὠφελείας*), 5, 6 al. imprimis autem animum advertamus ad p. 11, 18, ubi leve mendum codicum *Θεόπομπος μὲν εἰς ἑτέρους τὸ* (leg. *τι*) *τῆς ἀρχῆς ὥσπερ ῥεύματος μεγάλου παροχετευσάμενος* infeliciter sanare conatur post *ῥεύματος μεγάλου* suo Marte verbum *ῥεῖθρον* inserens. quo loco aperte monemur ne illud *τελευτᾷ* pro tradita lectione habeamus. quamobrem iam Bernardaces suo iure illud recipere dubitavit, Frerichs eiecit ⟨*ἄγεται καὶ ματὴν*⟩ post *φαύλοις* supplens (cf. tamen eius adnotationem ad p. 29). Sieveking autem lectionem **y** *φαύλοις τισίν, ἐνίησι τὴν ψυχὴν καὶ διαταράττει* genuinam esse statuit, quamquam illud *ἐνίησι* vix Plutarcheum videtur; potius certe *ἀνίησιν* expectes, quod apte etiam sequentibus verbis *νεῦρα τοῖς πάθεσι προστίθησι* opponeretur. certi vero nihil adfirmari posse videtur.

Restant igitur in his libellis loci in quibus iudicium cohibere praestat. sed si omnia mente complectimur, hoc dici potest: quisquis horum libellorum formam genuinam restituere conatur, semper a memoria codicum **Xy J** proficisci debet. maxima fide **y** dignus est. quae vero in X^2ΦΠ insunt, non illa quidem prorsus spernenda, sed magna cum cautione adhibenda sunt.

PRAECEPTA GERENDAE REI PVBLICAE

(Plan. 58)

Haec praecepta longe alia fata habuerunt atque libelli, quos modo tractavimus. cum enim statim hominibus valde placuissent multisque exemplaribus divulgarentur, res ipsa ferebat, ut iam antiquis temporibus auctoris